

Item, quia Papa per prædicta verba non cre-  
at Fratres Curatos, sed dat licentiam eis, of-  
ficiū Parochi exercendi, sicut ante faciebāt  
voluntate Ordinariū non requisita. At  
vero tenentur Religiosi de iustitia facere in-  
dictis populis Indorum nō totū quōd Cura-  
tus tenetur de officio facere: quia non sunt  
Curati, sed totū, quod alias fecissent ibi Cle-  
rici, vel Religiosi, inde amoti, vel impediti,  
ne ibi intrent & Sacramenta administrent:  
quia ratio naturalis dicit, ut vnusquisq;  
soluat damnum quod sua causa fuit illatum:  
sed causa aliquorum Religiosorum, & præci-  
bus coram Rege factum est, quod in populis  
illis assignatis non resideant Clerici Cura-  
ti, vel alij Religiosi, qui Indis Sacramenta  
administrent, mortuos sepeliant, Missas die-  
bus festiuis agant. Ergo tenentur de iustitia  
hæc omnia resarcire sua causa populis Indo-  
rum sublata, licet ex Charitate administrent  
eis Sacramenta. Hoc exemplo declaratur.  
Qui enim incipit audire Confessionem ali-  
cuius: cœpit ex Charitate: at vero postquam  
cœpit tenetur de iustitia perficere propter  
iniuriam, quæ penitenti faceret, si non perficeret,  
prout tenet Soto in 4. dist. 18. q. 4. cum